



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

Cap. I. Proponuntur argumenta contra cultum reliquiarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)



LIBER SECVN-
DVS DE RELIQVIIS
ET IMAGINIBVS
Sanctorum.

CAPVT PRIMVM.

Proponuntur argumenta contra cultum reliquiarum.

DISSERVIMVS LIBRO SUPERIORE de gloria & cultu Sanctorum: nunc de veneratione earum rerum, quæ ad illos pertinent, id est, reliquiarum & imaginum disputandum erit.

Ac, vt à reliquiis ordiamur, reliquiarum sanctarum cultum primus reprehendere cœpit Eunomius, & post eum Vigilantius, si B. Hieronymo libro contra Vigilantium credimus. Neque his repugnat quod ibidem paulò infrà idem Hieronymus dicit, hanc hæresim olim erupisse contra Ecclesiam, & aduersus eam scriptum esse librum Tertulliani, qui dicitur Scorpiacus: nec etiam quod in epistola ad Riparium originem huius hæresis reuocet ad Iudæos & Samaritanos; nam verè primus auctor, qui expressè hoc asseruit, Eunomius fuit. Gnostici enim, contra quos scribit Tertullianus suū Scorpiacum, solùm negabant martyria perpetranda. Ex quo tamen deduci poterat, Martyrum corpora non colenda, quàmuis ipsi hoc expressè non dicerent. Porrò Iudæi & Samaritæ omnia corpora immunda esse credunt: nihil tamen in particulari de Sanctorum corporibus disputant.

Post Vigilantium Constantinus Copronymus Imperator,

tor, ut Suidas in eius vita scribit, omnes reliquias ubique deleri iussit. Eadem hæres laborasse Claudium Taurinensem scribit Jonas lib. 1. de cultu imaginum. Eandem etiã VVicesistis placuisse, auctor est Thomas VValdensis tom. 3. tit. 14.

Denique, eandem hoc tempore Lutherani & Calvinisti excitarunt. Nam Lutherus in serm. de cruce, reliquias veterum delium seductiones altissimè sub terram abscondendas indicat. Eum sequuti Magdeburgenses passim reprehendunt cultum reliquiarum, sed præcipuè Centur. 4. cap. 6. col. 68. Idem facit Calvinus libro de reformandæ Ecclesiæ necessitate, & in admonitione de reliquiis.

Argumenta VVicesistarum duo erant. PRIMVM, quia Matth. 23. arguuntur à Domino Iudæi, quod ornarent sepulchra Prophetarum. SECUNDVM, quia in tumulis, quæ dicuntur Sanctorum, nec animæ, nec corpora Sanctorum sunt, sed soli cineres.

His addit Calvinus in admonitione de reliquiis alia quinque. PRIMVM, quia Deus abscondit Mosi corpus, ut habetur Deuter. vii. Causa autem redditur ab omnibus, ne Iudæi illud adorarent. Vnde etiam in epistola Iudæ legimus, Diabolum contendisse cum Michaële Archangelo de Mosi corpore, quia videlicet Diabolus illud manifestare volebat, ut occasione præberet Iudæis illud adorandi.

SECUNDVM, quia Paulus 2. Corinth. 5. dicit, post resurrectionem Christi se non nosse Christum secundum carnem; quibus verbis monet, quidquid in Christo carnale fuerit, obliuioni tradendum, & missum faciendum, ut in eo secundum spiritum quærendo & possidendo, omne studium ponamus.

TERTIVM, quia idem Paulus ad Col. 2. damnat omnem cultum arbitrarium, id est, à Deo non institutum, quem ipse Græcè vocat ἐδωλοδρησείαν, tanquam stultitiam, etiam si speciem sapientiæ habere videatur. At certè cultus reliquiarum non habetur à Domino institutus, sed est voluntarius & ab hominibus excogitatus.

QUARTVM, quia desiderium reliquiarum nunquam superstitione caret, immò mater est idololatriæ. nam non possunt haberi vel atrectari, quin statim sequatur veneratio

vno

enerationi autem nullus adhibetur modus, quin statim honor Christo debitus ipsis tribuatur. id quod experientia testatur; nam in signum solēnis adorationis, cerei nunc passim accenduntur coram Martyrum sepulcris. Et confirmatur; nam Hieronymus obiicienti Vigilantio esse idololatricam accendere cereos coram reliquiis, nihil aliud respondere potuit, quā id facere solū mulierculas, quæ zelum habent, sed non secundum scientiam. Addere possumus Concilium Elibertinum can. 34. ubi dicitur, eiusmodi cereis Sanctorum spiritus inquietari; & Augustinum, qui libro de moribus Ecclesiæ, capit. 34. reprehendit sepulcrorum adoratores.

QVINTVM, quia maxima pars reliquiarum supposititia est, & sæpe accidit, ut pro reliquiis Sanctorum ossa latronū, vel etiam canum, aut asinorum veneremur. Id quod probat PRIMVM, quia Augustinus in libro de opere Monachorum, capite 28. cum dixisset, quosdam Monachos circumferre, & venditare membra Martyrum, addidit: *Sitamen Martyrum.* Si enim iam tunc cœperunt imposturæ, quid modò fieri credendum est? DEINDE, quia tam multæ reliquię eiusdem generis inveniuntur, ut oporteat vel eundem Sanctum multa corpora habuisse, vel multas esse falsas reliquias. Hæc illæ quæ omnia argumenta cap. 4. refellentur.

Porrò Calvinistæ ubicunq; possunt reliquias Sanctorum exurunt, & cineres in flumen abiciunt: & notandum sanè anno M. D. LXII. à Calvinistis corpora Sanctorum Irenæi, Hilarij, & Martini effossa, & cremata, & in profluentem projecta fuisse, ut refert Surius: quod idem eodem in loco corporibus aliorum Sanctorum fecerant Ethnici ante annos M. CCCC. nam ut scribit Eusebius lib. 5. hist. cap. 3. Ethnici Martyrum reliquias igni absumptas, in Rhodanum abiecerunt. Ut hinc nimirum intelligamus, quanta sit Calvinistarum cum Ethnicis cognatio sacrilegiorum atque perfidiarum. Quòd autem Calvinistæ ferro & flammis agunt, id agunt imposturis, mendaciis & fraudibus Magdeburgen-

ses, quorum aliquas hîc breuiter diximus adnotandas.

—550—

CAPVT